

nénsibus datus, anno ut prædixerat, ab ingressu illius urbis nondum expléto, dum diocésis fines víseret, vitæ asperitate ac labóribus fractus, cœlesti visione confortátus, Calóttii pie óbiit, unde corpus suaviter olens Papiam translátum, in majóri ecclésia honorífice cónditum fuit. Illum vero virtútibus ac signis illústrem Benedictus décimus quartus in Beatórum número rétulit. *R.* Iste est. [93]

In iij. Nocturno, Homilia. Lécio sancti Evangélii. de Communi. [95]

DIE XXIV. APRILIS.  
S. Dismæ boni Latronis  
Conf. Duplex.

Omnia ut supra die xxvj. Martii [459], sed ritu Paschali, præter ea quæ sequuntur.

AD VESPERAS.

*Hymnus.*

**J**esu coróna célsior,  
Et véritas sublímiór,  
Qui confiténti sérvulo  
Reddis perénne præmíum.

Da supplicánti cœtui,  
Hujus rogátu, nóxii  
Remissionem críminis,  
Rumpéndo nexum vín-  
culi.

Anni revérso témpore,  
Dies refúlsit lúmíne,  
Quo Sanctus hic de cór-  
pore

Migrávit inter sídera.  
Ut sis perénne méntibus  
Paschále Jesu gáudium,  
A morte dira críminum  
Vitæ renátos líbera.  
Deo Patri sit glória,  
Et Fílio, qui a mórtuis  
Surréxit, ac Paráclito,  
In sempitérna sæcula.

Amen.

✠ *Añis ad Magnificat in utrisque Vesp. additur duplex allelúia.*

AD MATUTINUM.

*Hymnus.* Jesu coróna célsior. ut supra.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In iij. Nocturno, Lectio ix. erit sequens.

*Lectio ix.*

**R**ecte plane et Dóminus huic donat paradísium, quia quem Judas Iscariótes in hórtulo paradísi distráxerat, hic in crucis patíbulo confitétur. Mira res! confitétur latro quem discipulus abnegávit. Mira, inquam, res! latro honoríficat patíentem, quem Judas pródidit osculántem. Ab hoc pacis blandiménta vendúntur, ab illo crucis vúl-

nera prædicántur. Ait enim : Meménto mei Dómine, cum véneris in regnum tuum. Hæc est fidei plena devótio, ut, cum de vulnéribus Dómini prófluens sanguis cérnitur, tunc de potestate ejus vénia postulétur; cum vidétur ejus humilitas, tunc magis timeátur ejus divínitas; cum morti addíctus putátur, tunc regis illi honoríficéntia deferátur. Iste enim fidélis latro non crédidit moritúrum, quem annúnciat regnatúrum; non putat subdéndum inferis, quem dominatúrum confitétur in cœlo; non arbitrátur eum apud tár-  
tarum detinéri, a quo se étiam póstat liberári. Cernat licet ejus hiántia vúlnera, spectet ipsíus sánguinem profluéntem, Deum tamen credit, quem reum nescit; justum fatétur, quem non méminit peccatórem. *Te Deum. 20.*

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Latro Christum\* crucifíxum vidébat, et Regem invocábat, dicens : Dómine meménto mei, cum véneris in regnum tuum, allelúia.

2. Qui me conféssus\* fúe-

rit coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo, allelúia.

3. Cum conturbáta fúerit \* ánima mea Dómine, misericórdiæ memor eris, allelúia, allelúia.

4. Salvum me fecit \* Christus Redémptor, qui dixit : Hódie mecum eris in paradíso, allelúia, allelúia, allelúia.

5. Ille qui talis \* ad crucem venit ex culpa, ecce qualis a cruce recédit ex grátia, allelúia, allelúia, allelúia.

*Capítulum. Isaïæ lix.*

**E**cce non est abbreviáta manus Dómini, ut salváre néqueat : neque aggraváta est auris ejus, ut non exáudiat.

*Hymnus.*

**J**esu Redémptor óm-

nium,  
Coróna confiténtium,  
In hac die cleméntius  
Indúlgeas precántibus.

Tui sacri qua nóminis  
Conféssor almus cláruit,  
Hujus celebrat ánnua  
Devóta plebs solémnia.

Hujus benignus ánnue  
Confessionem nos sequi :  
Hujus precátu, sérvulis  
Dimítte noxam críminis.

Ut sis perénne méntibus  
Paschále, Jesu, gáudium,

A morte dira críminum  
Vitæ renátos líbera.

**D**eo Patri sit glória,  
Et Fílio, qui a mórtuis  
Surréxit, ac Paráclito,  
In sempitérna sæcula.

Amen.

**V.** Vitam pétiit a te, et  
tribuisti ei Dómine, alle-  
lúia. **R.** Glóriam et ma-  
gnum decórem imposuisti  
super eum, allelúia.

**Ad Bened. Añã.** Ait latro  
ad latrónem : Nos quidem  
digna factis recipimus; hic  
autem quid fecit? Memén-  
to mei Dómine, dum vé-  
neris in regnum tuum, alle-  
lúia, allelúia.

DIE XXVI. APRILIS.

**Beatæ Mariæ Virginis  
de Bono Consilio.**

**Duplex majus.**

**Omnia ut in Festis B. Ma-  
riæ V. per Annum [208]  
præter sequentia.**

**IN I. VESPERIS.**

**Añã et Capitulum ut ad  
Laudes. [480]**

**Hymn. Ave maris. [210]**

**V.** Ora pro nobis Mater  
Boni Consílii, allelúia.  
**R.** Ut digni efficiámur pro-  
missiónibus Christi, allel.

**Ad Magnif. Añã.** Candor  
est lucis æternæ, et spéculum  
sine mácula Dei ma-  
jestátis et imágo bonitátis

illius : et ideo nihil iniqui-  
tátum in eam incúrrit, alle-  
lúia.

**Oratio ut in Laud. [480]**

**AD MATUTINUM.**

**Invitor.** Sancta Mariá  
Dei Génitrix Virgo, Mater  
Boni Consílii, \* Intercéde  
pro nobis, allelúia.

**Ps. Veníte, exsultémus. 2.**

**Hymnus.**

**P**Laude festívo, pia  
gens, honóre,  
Dum Genestánam vene-  
ráris ædem,  
Qua Dei magnæ Genitri-  
cis alma

Splendet imágo.

**H**æc ubi miram spéciem  
repénte

Obtulit lætis pópulis vi-  
déndam,

Multa mox secum bona  
ferre nostras

Visa per oras.

**I**psa tunc ægris áderat,  
moléstos

Córpore morbos animi-  
que pellens

Longe et ærumnas Látio  
imminéntes

Ipsa fugábat.

**V**irgo, quæ magnis deco-  
ráta signis,

Nunc quoque effúlges, mi-  
seris juvámen

Affer, et fuis pátiens  
cliéntum

Annue votis.

Sit salus illi, decus atque  
virtus,

Qui super cœli sólio corú-  
scans,

Totius mundi sériem gu-  
bérnat

Trinus et unus. Amen.

**In I. Nocturno.**

**Añã.** Accipe consílium  
intelléctus, et ne abjicias  
consílium meum, allelúia.

**V.** Venérunt mihi ómnia  
bona páriter cum illa, alle-  
lúia. **R.** Et innumerábilis  
honéstas per manus illius,  
allelúia.

De libro Proverbiórum.

**Lectio j. Cap. ij. b**

**S**I intráverit sapién-  
tia cor tuum, et  
sciéntia ánimæ  
tuæ placúerit : consílium  
custódiet te, et prudéntia  
servábit te, ut eruáris a via  
mala, et ab hómine, qui  
pervérsa lóquitur : qui re-  
linquunt iter rectum, et  
ámbulant per vias tene-  
brósas : qui lætántur cum  
male fécerint, et exsúltant  
in rebus péssimis : quorum  
viæ pervérsæ sunt, et in-  
fámes gressus eórum.

**R.** Si sapiéntiam invo-  
cáveris, et inclináveris  
cor tuum prudéntiæ :  
\* Tunc intélliges timórem  
Dómini, et sciéntiam Dei  
invénies, allelúia. **V.** Quia

Dóminus dat sapiéntiam  
et ex ore ejus prudéntia  
et sciéntia. — Tunc.

**Lectio ij. Cap. iij. c**

**F**lli mi, ne éffluent hæc  
ab óculis tuis. **Cu-**  
stódi legem atque consí-  
lium : et erit vita ánimæ  
tuæ, et grátia fáucibus  
tuis. Tunc ambulábis fidu-  
ciáliter in via tua, et pes  
tuus non impínget : sidor-  
míeris, non timébis : quié-  
sces, et suá vis erit somnus  
tuus. Ne páveas repéntino  
terróre, et irruéntes tibi  
poténtias impiórum. Dó-  
minus enim erit in látere  
tuo, et custódiet pedem  
tuum ne capiáris.

**R.** Si intráverit sapiéntia  
cor tuum, et sciéntia áni-  
mæ tuæ placúerit : \* Con-  
sílium custódiet te, et pru-  
déntia servábit te, allelúia.

**V.** Ut eruáris a via mala,  
et ab hómine qui pervér-  
sa lóquitur. — Consílium.

**Lectio iij. Cap. viij. b**

**E**GO sapiéntia hábito  
in consílio, et erudi-  
tis intérsu cogitatióni-  
bus. Timor Dómini odit  
malum : arrogántiam, et  
supérbiam, et viam pra-  
vam, et os bilingue deté-  
stor. Meum est consílium,  
et æquitas, mea est pru-  
déntia, mea est fortitúdo.

Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt. Per me principes imperant et potentes decernunt justitiam. Ego diligentes me diligo : et qui mane vigilant ad me, inveniunt me.

**R.** Beatus homo qui invenit sapientiam et qui affluit prudentia : \* Primi et purissimi fructus ejus, alleluia. **V.** Pretiosior est cunctis opibus, et omnia quae desiderantur huic non valent comparari. — Primi. **Gloria Patri. Primi.**

**In II. Nocturno.**

**Añ.** Justi sunt omnes sermones mei, non est in eis pravum quid, neque perversum, alleluia.

**V.** Viam sapientiae monstrabo tibi, alleluia. **R.** Ducam te per semitas aequitatis, alleluia.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

**In Natali S. Joann. Bapt.**

**Lectio iii.**



Ominem concepit Elisabeth, hominem Maria : sed Elisabeth solum hominem, Maria Deum et hominem. Mira res est, quomodo potuerit concipere creatura Creatorem. Quid est ergo intelligendum, fratres mei,

nisi quia ipse sibi fecit carnem de sola matre, qui fecit primum hominem sine patre et matre? Primus ille noster casus fuit, quando femina, per quam mortui sumus, in corde concepit venena serpentis. Persuasit enim serpens peccatum, et admissus est male suadens. Si primus noster casus fuit, cum femina concepit corde venena serpentis; non mirandum, quod salus nostra facta est, cum femina concepit in utero carnem Omnipotentis. Uterque ceciderat sexus, uterque fuerat reparandus. Per mulierem in interitum missi eramus, per mulierem nobis reddita est salus.

**R.** Fili custodi legem atque consilium, \* Et erit vita animae tuae, et gratia faucibus tuis, alleluia.

**V.** Tunc ambulabis fidei in via tua, et pes tuus non impinget. — Et.

Sermo sancti Fulgentii Episcopi.

**De laudibus Mariae ex partu Salvatoris.**

**Lectio ii.**

**Q**uoniam diabolus per serpentem Hevae locutus, per Hevae aures mundo intulit mortem,

Deus per Angelum ad Mariam pertulit verbum et cunctis saeculis vitam effudit. Angelus sermonem ejecit, et Christum Virgo concepit. Hoc splendore concipitur Dei Filius, hac munditia generatur. De caelis medicus transiens per Virginem post transitum suum illaem fecit Virginem permanere. Qui enim disrupta corporum membra in aliis poterat integrare tangendo, quanto magis in sua Matre, quod invenit integrum, potuit non violare nascendo? Crevit enim ejus partu integritas corporis potius, quam decrevit, et virginitas ampliata est potius, quam fugata.

**R.** Audi fili mi, et suscipe verba mea, \* Ut multiplicentur tibi anni vitae, alleluia. **V.** Viam sapientiae monstrabo tibi, ducam te per semitas aequitatis. — Ut multiplicentur.

**Lectio vi.**

**M**aria quam praclarissimis tribus bonis sublimetur, ausculta, salutationis angelicae, benedictionis divinae, et plenitudinis gratiae. Sic enim eam legitur salutasse : Ave Maria, gratia plena :

benedicta inter mulieres. Et ut nihil non sublime esset in hac sanctissima Virgine, quam Angelus gratia plenam salutavit, non sine divino consilio factum est, ut ejus etiam imagines summo essent in honore et prodigiis miraculisque clarerent. Quas inter ea tribus ab hinc saeculis praecipuo honore colitur, quae Paulo secundo sedente mirabiliter apparuisse in pariete Ecclesiae patrum ordinis Eremitarum sancti Augustini in oppido Genestani Praenestinae diocesis, ex pontificiis diplomatis et supparibus monumentis comprobatur. Quibus permotus Pius Papa sextus praefatis ejusdem oppidi coenobitis officium proprium concessit septimo Kalendas Maias, ipso scilicet Apparitionis die, recitandum, ac deinde illud die, quae immediate subsequitur pro ejus recitatione in posterum assignata ad universum praedictum ordinem sub ritu duplicis majoris extendit. Leo vero decimus tertius ad augendum cultum erga beatissimam Virginem sub titulo Matris Boni

Consilii novum hoc Officium approbavit.

**R.** Ausculta sermões meos, et ad elóquia mea inclína aurem tuam : \* Ne recédant ab óculis tuis : custódi ea in médio cordis tui, allelúia. **V.** Vita enim sunt inveniéntibus ea, et univérsæ carni sánitas. — Ne. Glória Patri. Ne.

**In III. Nocturno.**

**Añã.** Via stulti recta in óculis ejus, qui autem sapiens est, audit consília, allelúia.

**V.** Coróna sapiéntiæ timor Dómini, allelúia.

**R.** Replens pacem, et salútis fructum, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam.

**Léctio vij.**

**Cap. j. c**

**I**n illo témpore : Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ cui nomen Náza-reth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homília sancti Bernárdi Abbátis. **Ex Homil. ij. super Missus, circa finem.**



**T** nomen, inquit, Vírginis María, quod interpretátum maris stella dicitur.

Ipsa namque est nóbilis illa stella ex Jacob orta, cujus rádius univérsum orbem illúminat. Ipsa, inquam, est præclára et exímia stella super hoc mare magnum et spatiósum necessáριο subleváta, micans méritis, illústrans exémpis. O quisquis te intélligis in hujus sæculi proflúvio magis inter procéllas et tempestátes fluctuáre, quam per terram ambuláre : ne avértas óculos a fulgóre hujus síderis, si non vis óbrui procéllis. Si insúrgant venti tentatiónum, si incúrras scópu-los tribulatiónum, respice stellam, voca Mariám. Si jactáris supérbie undis, si ambitiónis, si detractiónis, si æmulatiónis, respice stellam, voca Mariám. Si críminum immanitáte turbátus, consciéntiæ fæditáte confusus, júdicii horróre pertérritus, bátrathro incípias absorbéři tristitiæ, desperatiónis abysso, cógita Mariám. In perícúlis, in angústis, in rebus dúbiis, Mariám cógita, Mariám invoca. Ipsam sequens, non devías : ipsam rogans, non despéras : ipsam cógitans, non erras : ipsa tenénte, non

córruis : ipsa protegénte non métuis : ipsa duce non fatigáris : ipsa propítia pèrvenis, et sic in temetípso experiris quam mérito dictum sit : et nomen Vírginis María.

**R.** Fílii audíte me : \* Beáti qui custódiunt vias meas, allelúia. **V.** Audíte disciplínam et estóte sapiétes et nolíte abjicere eam. — Beáti.

**Léctio vij.**

**I**ntuere o homo, consilium Dei, agnosce consilium sapiéntiæ, consilium pietátis. Redemptúrus humánum genus, prætium univérsum cóntulit in Mariám. Altius ergo intuémini quanto devotiónis afféctu a nobis volúerit honorári, qui totius boni plenitúdinem pósuit in María : ut proinde, si quid spei in nobis est, si quid grátiae, si quid salútis, ab ea novérimus redundáre, quæ ascéndit delíciis áfluens. Tolle Mariám hanc maris stellam, quid nisi caligo invólvens, quid nisi caligo invólvens, umbra mortis, et densissimæ ténebræ relinquin-tur? Totis ergo medúllis córdium, totis præcordiórum afféctibus, et votis ómnibus Mariám hanc

venerémur, quia sic est volúntas ejus, qui totum nos habére voluit per Mariám. In ómnibus síquidem, et per ómnia próvidens miseris trepidatió-nem nostram soláture, fidem éxcitat, spem róborat, diffidéntiam ábigit, érigit pusillanimitátem.

**R.** Príncipium sapiéntiæ timor Dómini : \* Et sciéntia sanctórum prudéntia, allelúia. **V.** Per me enim multiplicabúntur dies tui, et addéntur tibi anni vitæ. — Et. Glória. Et.

**Léctio ij.**

**A**d Patrem verebáris accédere, solo audítu térritus ad fólia fugiébas : Jesum tibi dedit mediátorem. Sed fórsitan et in ipso majestátem vereáre divínam, quod, licet factus sit homo, mánserit tamen Deus. Advocátum habére vis et ad ipsum? Ad Mariám recurre. Pura síquidem humánitas in María. Nec dúbius dixerim, exaudietur et ipsa pro reveréntia sua. Exaudiet útique Matrem Fílius, et exaudiet Fílium Pater. Fílioli, hæc peccatórum scala, hæc mea máxima fidúcia est, hæc tota rátio spei meæ. Quid enim? Potest

ne Fílius aut repéllere, aut sustinére repúlsam? Non audíre, aut non audíri Fílius potest? Neutrum plane. Invenisti, ait Angelus, grátiam apud Deum : feliciter. Semper hæc inveniet grátiam, et sola est grátia qua salvámur. Quid nos ália concupíscimus fratres? Quærámus grátiam, et per Mariam quærámus, quia quod quærit invenit, et frustrári non potest. Quærámus grátiam, sed grátiam apud Deum : nam apud hómines grátia fallax. Quærant álii méritum, nos invenire grátiam studeámus. Quid enim? Non grátia est quod hic sumus? Profecto misericórdia Dómini est, quod non sumus consúpti.

Te Deum laudámus. 20.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Ego mater \* pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei, allelúia.

2. In me grátia \* omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis, allelúia.

3. Qui audit me \* non confundétur, et qui ope-

rántur in me non peccábunt, allelúia.

4. Da mihi sédium tuárum \* assistricem sapiéntiam, et noli me reprobáre a fíliis tuis, allelúia.

5. Optávi, \* et datus est mihi sensus et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntia, allelúia.

**Capitulum.** Apoc. viij. d  
**B**Eátus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes óstii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et háuriet salutem a Dómino.

**Hymn.** O gloriósa. [223]

✠ Dignáre me laudáre te Virgo sacráta, allelúia.  
✠ Da mihi virtútem contra hostes tuos, allelúia.

**Ad Benedictus.** Añæ. Beáta Mater et intácta Virgo, Regína mundi, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus, sed a periculis cunctis líbera nos semper, allelúia.

**Oratio.**

**D**Eus, qui Genitricem dilécti Fílii tui Matrem nobis dedisti, ejúsque speciósam imáginem mira apparitióne clarificáre dignátus es : concéde, quæsumus ; ut ejúsdem móntis júgiter inhærentes se-

cúndum cor tuum vívere et ad cœlestem pátriam feliciter pervenire valeámus. Per eúmdem Dóminum.

AD TERTIAM.

**Capitul.** Beátus homo. ut supra. [480]

✠. br. Venérunt mihi ómnia bona páriter cum illa, \* Allelúia, allelúia. Venérunt. ✠. Et innumérabilis honéstas per manus illius. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Venérunt.

✠. Viam sapiéntia monstrábo tibi, allelúia. ✠. Ducam te per sémitas æquitátis, allelúia.

AD SEXTAM.

**Capitulum.** Prov. vj. c

**C**onsérva fili mi præcepta patris tui, et ne dimittas legem matris tuæ. Liga ea in corde tuo júgiter, et circúmda gúturi tuo.

✠. br. Viam sapiéntia monstrábo tibi, \* Allelúia, allelúia. Viam. ✠. Ducam te per sémitas æquitátis. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Viam.

✠. Coróna sapiéntia timor Dómini, allelúia. ✠. Replens pacem, et salutis fructum, allelúia.

AD NONAM.

**Capitulum.** Prov. xxij. d  
**P**Ræbe fili mi cor tuum mihi et óculi tui vias meas custódiant.

✠. br. Coróna sapiéntia timor Dómini, \* Allelúia, allelúia. Coróna. ✠. Replens pacem, et salutis fructum. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Coróna.

✠. Veníte filii, audíte me, allelúia. ✠. Timórem Dómini docébo vos, allelúia.

IN II. VESPERIS.

Añæ et Capit. de Laud. Psalmi et Hymnus ut in Festis B. M. V. [208]

✠. Ora pro nobis Mater Boni Consilii, allelúia. ✠. Ut digni efficiámur promissionibus Christi, allel.

**Ad Magnif. Añæ.** Felix es sacra Virgo María, et omni laude digníssima : quia ex te ortus est sol justítia, Christus Deus noster, magni Consilii Angelus, allelúia.

DIE XXVII. APRILIS.

B. Petri Canisii

Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. [112] præter sequentia. (m. t. v.)

Oratio.

**D**Eus, qui ad tuendam catholicam fidem beátum Petrum Confessorem

tuum virtute et doctrina roborasti : concede propitius, ut ejus exemplis et monitis errantium corda ad salutem respiscant, et fidelium mentes in veritatis confessione perseverent. Per Dominum.

*In j. Nocturno, Lectione de Scriptura occurrente. In Feria ij. et iv. Rogat. Beatus vir. de Communi ij. loco. [128]*

*In II. Nocturno.*

*LECTIO III.*



Etrus Canisius Noviomagi in Geldria natus est eo ipso anno, quo Lutherus in Germania, aperta rebellionē, ab Ecclesia descendit, et Ignatius de Loyola in Hispania, terrestri militia abdicata, ad præliandum prælia Domini se contulit; Deo nimirum portendente, quos ille posthac adversarios, quem sacrae militiae ducem esset habiturus. Coloniae Agripinae, quo studiorum causa concesserat, primus Germanorum Societati Jesu nomen dedit; et sacerdotio auctus, summo populi Coloniensis clerique consensu, ad Georgium Pontificem Leodiensium, et ad Carolum quintum Augu-

stum adversus Hermannum Archiepiscopum, qui palam haeresim præ se ferebat, legatus est. Ob præclaram sapientiam et exploratum rerum usum a Cardinali Augustano et a pontificiis legatis magnopere expetitus, semel atque iterum concilio Tridentino interfuit; cujus etiam decreta ex auctoritate Pii quarti Pontificis maximi rite per Germaniam promulganda, et in morem inducenda curavit. A Paulo quarto ad conventum Petricoviensem ire jussus, aliisque a Gregorio decimo tertio legationibus obeundis adhibitus, alacri semper et nunquam fracto a difficultatibus animo, gravissima religionis negotia tractanda suscepit, ac vel inter praesentia vitae discrimina ad exitum feliciter perduxit.

✠. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ad inimicis, et a seductoribus tutavit illum: \* Et dedit illi claritatem aeternam, alleluia. ✠. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. — Et dedit.

*LECTIO II.*

Divinae gloriae amplificandae intentus, dici vix potest, quot per annos amplius quadraginta labores suscepit, aerumnasque pertulerit. Cunctis fere Germaniae regionibus peragratis, omne hominum genus saluberrimis institutis publice et private excolluit; pluresque urbes atque provincias vel ab haereseos contagione defendit, vel haeresi infectas catholicae fidei restituit. In Ratisbonensi et in Augustano conventu imperii principes ad jura Ecclesiae tuenda, et mores populorum emendandos excitavit: in Wormatiensi insolescentes impietatis magistros ad silentium adegit. Collegium Germanicum, quod Romae constitutum fuerat, omni opere provohere atque amplificare studuit; in academicis sacrarum humanarumque disciplinarum studia, miserandum in modum collapsa, instauravit; contra Centuriatores Magdeburgenses plura egregie conscripsit: et summam doctrinae christianae, theologorum judicio et publico usu comprobata, aliaque

ad rudiorum institutionem aptissima in vulgus edidit. A sancto Ignatio Germanicae provinciae moderandae praefectus, domos et collegia multis in locis condidit, et evangelicos operarios in omnem Germaniam misit ad errores stirpitus evellendos, serendamque pietatem. Quam ob rem haereticorum malleus et Germaniae apostolus appellatus, et plane dignus habitus est, qui ad tutandam in Germania religionem datus divinitus putaretur.

✠. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum, \* Et ad portas paradisi coronavit eum, alleluia. ✠. Induit eum Dominus loricae fidei, et ornavit eum. — Et.

*LECTIO VI.*

Inter haec precatione crebra, et assidua rerum supernarum commutatione Deo se conjungere solitus erat; quin etiam noctes saepe integras perfusus lacrymis et abducto a sensibus animo orationi dabat. A viris principibus et a quatuor summis Pontificibus magno in honore habitus, adeo de se demisse sentiebat, ut se om-

nium minimum et diceret et haberet. Viennensem episcopatum semel, iterum ac tertio recusavit; nec nisi ægerrime adduci potuit, ut illius Ecclesiæ procuracionem per annum exerceret. Moderatõibus suis obsequentissimus, paratus erat ad ipsorum nutum omnia relinquere, aut aggredi, etiam cum valetudinis et vitæ periculo. Virginitatem, quam adolescens Deo voverat, voluntaria sui ipsius coercionem perpetuo sepsit. Demum Friburgi Helvetiorum, ubi plurimum pro Dei gloria et salute animarum desudaverat, migravit ad Deum, duodecimo Kalendas Januarii, anno millésimo quingentesimo nonagesimo septimo, ætatis suæ septimo supra septuagesimum. Mortuo, tamquam parenti publico, civitas universa concursu prope incredibile et multis lacrymis parentavit. Sepulcrum ejus prodigiõrum fama duobus amplius sæculis tota Germania inclaruit: e quibus quatuor rite probatis, Pius nonus Pontifex maximus strenuissimo catholice veritatis propugnatori

cœlitum Beatorum honores decrevit.

℞. Iste homo. [120]

In iij. Nocturno, Homilia. Pusillum gregem. de Comuni ij. loco. [131]

DIE XI. MAIL.

S. Francisci de Hieronymo

Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pont. [112] præter sequentia.

Oratio.

**D**Eus, qui beatum Franciscum ad animarum salutem eximium verbi tui præconem effecisti: ejus nobis intercessionem concede; ut legis tuæ mandata et jûgiter scrutemur in corde, et fideliter operibus exsequamur. Per Dõminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente. In Feria ij. et iv. Rogat. Lect. Justus si morte. de Communi. [115]

In II. Nocturno.

Lectio ib.



Franciscus de Hieronymo in Tarentini agri oppido, cui Cryptalæe nomen, honesto loco natus, pia parentum cura institutus, ac cœli benedictione præ-

ventus, pueritiam egit innocentissimis moribus præstantem, et futuræ sanctitatis indicium conspicuam. Duodecimo ætatis anno in quorundam evangelicorum operariorum conturbanium admissus, in catechizandis rudibus adhuc adolescens diligentem operam posuit, et apostolico ministerio, ad quod Deus illum destinaverat, jam tum proluere visus est. Theologica studia Neapoli aggressus, et sacerdotio initiatus, ita vitæ suæ rationes ad evangelicæ consilia accommodavit, ut sacerdotis sancti nomen adeptus fuerit. Societatem Jesu ingressus, jactis in tirocinio religiosæ perfectionis, ardentissimæ in Deum et proximos caritatis, insignis patientiæ, aliarumque virtutum fundamentis, quæ majus in dies singulos incrementum accipiebant, theologiæ curriculum confecit, et solenni quatuor votorum professione sese obstringens, eximium regularis observantiæ exemplar evasit. Pro sacra ad Japonem expeditione, quam martyrii cupidus in votis habuit,

Neapoli retentus, præfecturam Missionum jussu Præsulum accepit; quod non sine Dei numine factum eventus comprobavit.

℞. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: \* Et dedit illi claritatem æternam, alleluia. ℞. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

**E**Tsi enim corpore erat gracili, neque satis firma valetudine, ac præterea carnem assiduis jejuniis, vigiliis, verberibusque macerabat, tamen tot onera in se suscipiens, quot ferendis plures simul vix pares essent, incredibile dictu est, quanta pro gloria Dei, quam unice quærebat, egerit, non solum Neapoli, sed in aliis quoque ejusdem regni provinciis, quot labores et ærumnas tulerit, quanto cum fructu in agro Dominico excolendo plus quam quadraginta annis desudaverit. Frequentes et sæpius plures eodem die habebat conciones per vicos, compita, et plateas,

ad carcēribus detētos, ad régiis trirēmibus mancipātos, ad milites, contra circulātōres impudētes, contra públicos quosvis peccatōres, contra famē prostitūtā muliérculas. Accedēbant mirabilia signa, tremēda divīnæ ultionis advērsus pervicāces documēta, scrutatio cōrdium, prædictio rerum futurārum, ejus cōrporis divērsis in locis replicatio, grātia sanitatum, annōna divīnitus multiplicata, vox etiā ex ore meretricis sūbita morte corréptæ extōrta, quæ se apud inferos esse palam denuntiāvit. Ex quo fiēbat vix ut unquam e superiori loco ad pōpulum diceret, quin insignem aliquem peccatōrem Christo lucrifaceret. Intērdum etiā decem, nonnūquam quīndecim meretriculæ simul sua crimina deflētēs in concionē, ad pōnitēntiam confugerunt.

✠. Amāvit eum Dōminus, et ornāvit eum : stolam glōriæ induit eum, \* Et ad portas paradisi coronāvit eum, allelūia. ✠. Induit eum Dōminus lorīcam fidei, et ornāvit eum. — Et ad portas.

**Lectio vij.**

**A**ssidua ejus ōpera fuit in agrōtis invisēdis, in moribūdis ad mortem rite præparādis, in concōrdia animōrum dissidentium conciliānda, in paupēribus ope ac solatio sublevādis. Communiōnem, quam dicunt generālem, singulis cujūlibet mensis tērtiis diēbus Dōminicis usque ādeo promōvit, ut sæpe quīndecim millia fidēlium, aliquādo viginti millia, aut eo amplius, ad eucharisticam mensam convēnerint. Exercitiis spiritalibus, ex sancti Ignātii institutōris præscripto, sacerdotum cōetus, virōrum religiosōrum et virginum Deo devotārum monastēria, puellarum cōnōbia, studentium jūvenum collēgia et semināria, atque omne hōminum genus mirifice excōluit. Gravissimas difficultates et molēstias, quas illi dæmon excitābat, invicta patiēntia superāvit; nec semel maxillam percussōntibus submisso ānimo ālteram præbuit : quin et acerbissimos dolōres brāchio captivi Mahometāni, qui eum percussērat, a Deo ultōre inflīctos signo cru-

cis repēntē cessāre fecit, hominēque ad christiānam religiōnem addūxit. Demum in cōelum a Deo evocātus, placide efflāvit ānimam in Neapolitāna professorum domo, die undécima Māii, anno millésimo septingentésimo décimo sexto, ætātis vero suæ septuagésimo quarto. Quem mēritis ac miraculis clarum Pius séptimus Pōntifex māximus in Beatorum nūmerum rētulit. Novis autem signis a Deo illustrātum, præsertim in patria, iisque rite probātis, Gregōrius décimus sextus solēnni ritu in festo sanctissimæ Trinitātis anno millésimo octingentésimo trigésimo nono in Sanctōrum album annumerāvit. ✠. Iste. [120].

In iij. Nocturno, Homilia. Sancti Evangelii. de Comuni. [123]

## DIE XIII. MAII.

**S. Peregrini Latiosi Confessoris. Duplex.**

Omnia de Comm. Conf. non Pont. [112] præter sequentia. (m. t. v.)

**Oratio.**

**D**eus, qui beāto Peregrino Angelum cōmitem, magīstram Deīpa-

ram, Jesum tētri ūlceris medicum mire dedisti: da per mērita ipsius, obsecramus; ut sanctum Angelum, Virginem, Salvatōrem singulariter amemus in terris, et collaudemus in cœlis. Per eūdem.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

**In II. Nocturno.****Lectio iij.**

**P**eregrinus Forolivi ex nobili Latiosorum familia ortus, sanctissimæ Virgini Deiparæ devotus quadam die in ecclēsia cathedrāli ante illius imaginem diūtius orans et petens, ut vias dirigeret, eam pretiosissimæ Trinitātis vēstibus indutam sibi, ut ad Servos suos se confēret, præcipiētem audivit. Quare adolescens, Angelo cōmite Senas profectus, priōri Servōrum visionem mandatāque Virginis expōsuit, ac recipi humiliter postulāvit. In receptiōne splendore quodam cœlesti, quo futūra sanctitas ejus præmonstrabatur, caput illius circumfūlsit. Triginta annos natus Forolivium remissus, ubi diu laboribus, vigiliis, jejuniis orationibus exercitam vitam duxit.